



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 37. Guisius Dux insuperhabito Regis edicto Parisios delatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

nova beneficia, quibus a Rege indies  
cumulabatur, sese semper magis, ma-  
gisque populo exosum reddebat.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1588.

Interea Protestantium factio jactu-  
ram deplorabat Condæi Principis, qui  
anno ætatis suæ trigesimo quinto in San-  
ctonum oppido, cui Joannis Engeriaci  
nomen est, die quinta Martii hoc anno  
non sine veneni suspicione obiit. Sub  
idem tempus Fœderati datis ad Gui-  
sium Ducem literis eum certiore red-  
debant, quod tunc, si opem ferre diutius  
tardaret, ex suis non pauci essent, qui  
a Rege veniam impetrandi spem con-  
cipientes a vexillis secederent, ac sese  
Regiæ clementiæ committentes absque  
dubio cuncta consilia hucusque agitata  
manifestarent.

§. XXXVII.

*Guisius Dux insuperhabito Regis in-  
terdicto Parisios delatus.*

His rationibus permotus Dux Parisios  
contendit: ast jam ad Sueffones  
delatus a Rege sibi nuntiatum comperit,  
quod iter suum haud ultra prosequere-  
tur, cum plurimum Regis interesset:  
verum huic Nuntio Dux hæc in responsis  
dabat: „nil nisi meum Regi obsequium de-  
„ferre cupio, non equidem me latent  
„calumniæ, quibus mei hostes famam  
„meam proscindunt, honorem tamen  
N n 2 „meum

Thu. l. 90.  
Davil. l. 9.  
Mem. t. x.  
p. 33r.

Sæcul. XVI. „meum vindicare cogor, hancque ob  
 A.C. 1588. „rem tanquam Vir privatus absque ullo  
 „comitatu, qui suspicionem ingerere  
 „posset, advenio, unice studiosus, ut in  
 „omni occasione Regi satisfacere, ei-  
 „que testatum reddere possim, quod  
 „nunquam ejus jussa violare inten-  
 „dam.„

## §. XXXVIII.

*Luparam veniens, ibidemque a Rege  
 exceptus.*

*Thvil. & Da-  
 vil. l. c.*

Ergo Guisus Dux die nona Martii Pa-  
 risios veniens ad Reginae Matris ædes  
 equo descendit, ab eadem ad Regem  
 deductus, quem tamen Henricus vix  
 conspiciens, mox commotiori voce ita  
 alloquebatur: „ne Parisios venires, ti-  
 „bi significari jussi: adhæc Dux repo-  
 „suit: nec id diffiteor, attamen tuam  
 „æquitatem imploraturus me Regiæ  
 „Majestatis arbitrio tradidi, & calum-  
 „nias meorum hostium capitis periculo  
 „confutaturus huc adveni, nec tamen  
 „comparere ausus fuisset, si mandata  
 „magis disertâ, & clara a Majestate ve-  
 „stra recepisset.„: His dictis de sua,  
 suorumque innocentia longam, & con-  
 cinne elaboratam orationem habuit, ut  
 per illam cuncta prius a se dicta confirma-  
 ret, & suspiciones astu, ut ajebat, inimico-  
 rum subortas, ac in Regis animo conce-  
 ptas